



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

115. Fer. 4. De primis quatuor verbis Domini in Cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

mortalis de corpore solvenda: patiebatur Filius ipse in omni parte sensitiva, & rationali. 2. Angeli videbantur turbari, cum viderent Dominum in cruce sic pati, uti amicus dolore solet de malo amici. 3. Turbantur omnia elementa. 4. Turbati sunt & Paganis, quasi puncturis, licet nescierint, unde essent. 5. Turbati sunt etiam Spiritus immundi. 6. Turbatæ sunt animæ Patrum, maluisse quæ poenas inferni pati, quam talem poenam videre in Domino suo. 7. Patiebatur & Virgo cruci assistens sic, ut nullus satis possit considerare. S. Brig. l. 6. c. 11. Egone solus sine sensu hæc accipiam? & amorem proprium auctorem Deicidij sic abire permittam, neque in crucem agam? *Mibi cunctis rebus emendatus est Deus, & crux,* inquit D. Greg. Naz. orat. 30.

MEDITATIO C X V.

Feria 4. Domin. Palmarum.

De primis quatuor verbis Domini in Cruce.

Aspiciam Dominum virum dolorum in cruce prope urbem, mundi caput festo maximo, in quo neminem fuisse verisimile est, qui non interesset, & in Dominum nullum non contumeliæ genus excitaret, ut ait D. Isid. latronibus nil tale facientes. Petam ex singulis Domini verbis in cruce prolatis fructum capere.

Conf.

Conf. 1. PATER. Scivit opus hic esse benignitate Patris, non rigore iudicis: quasi diceret: Ego Filius parco illis, tu quoq; ignosce mei causâ, Pater. Et nequiens excusare scelus, ignorantiam adfert: quia si cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent, 1. ad Cor. 2. & exauditus est. 1. ne Deicidæ continuo pœnam darent, sed ad 40. annos differretur. 2. Exauditus est quoad culpæ remissionem: secutæ sunt enim memorabiles septem conversiones: Latronis, Centurionis, eorum, qui cum eo erant, omnis turba, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertentur. Luc. 23. Beda ait fuisse Iudæos tacite compunctos; Iosephi ab Arimathia, antè occulti, nunc audentis; Nicodemi, qui alias nocte veniebat, illorum denique trium, & postea quinque millium in Pentecoste; item Areopagitæ. In hoc verbo fuit perfecta proprii commodi, & honoris, & existimationis abnegatio: quia non suæ voluntati, sed bono nostro servivit, ob peccata contra Deum facta dolens, & Deum placans juxta illud ad Rom. 15. *Etenim Christus non sibi placuit.*

Conf. 2, Latroni zelanti dictum: AMEN DICO TIBI, HODIE MECUM ERIS IN PARADISO. *Credamus Deum vel solâ virtute Patientie, qui dñ ab homine crucis neci traditur,*

sic quodque homini gloriam pollicetur, inquit, Aug. ser. 120. de Temp. Fuit hic perfecta propriæ potestatis abnegatio, qui unum latronem assumpsit, alterum reliquit, prout Patri placere videbat.

*Conf. 3. verbum. Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ MULIER, ECCE FILIUS TVVS (ô qualis commutatio! ex Matre Dei fit mulier, ex Discipulo fit Filius Dei) deinde dicit Discipulo: ECCE MATER TVA. *omnis verè Christianus Filius est Mariæ, ait Origenes hom: 2. in Ioan. Addit hic Ambros. Christus Matrem dedit, crucem sibi servavit. Fuit hic Christi perf. sensualis amoris abnegatio, & in spiritualem conversio non plus amando Matrem suam, quàm Pater voluerit, quando eam posthabuit cruci.**

Conf. 4. Post silentium horarum quietum (ô quid tunc mente voluerit Deus meus!) ne putaretur jam mortuus, circa horam nonam clamavit Iesus voce magnâ dicens, linguâ Syriacâ tunc usitatâ Psalmi 11. initium: ELOI, ELOI, &c. & probabile quod totum submisit oraverit reliquum. Non fuit autem sic derelictus, quasi soluta esset unio hypostatica, aut quasi perdidisset amicitiam DEI: sed quod ab imminente morte Patet
Filius

Filium non liberaret, nec mitigaret extremos morientis dolores, tristitias, & agoniam, ab horto hucusque continuatam cum subtractione solatij, & quòd Divinitas permiserit humanitatem pati, quæ derelictio propria fuit solius Christi specialis, & unici Filij Dei, qui tacuit dolores omnes reliquos, hanc unicam derelictionem piè questus est, & meditantandam ejus causam proposuit: **VT QUID, seu, quare DERELIQVISTI ME?** ad hoc quare solus ille respondebit, qui peccati malitiam, Dei justitiam, & nimiam Charitatem comprehenderit. Maluit Filius Dei à Patre deseri, quàm ut nos dereliqueret. Magnus est amor hominis relinquentis Parentes suos, at quòd Filius DEI relinquat propter nos Patrem suum, quis hoc explicet? Fuit hic Christi perfecta spiritualis solatij abnegatio, & in desolatione quantumvis gravissima, constans Dei adhesio. Quantumcunque igitur Deus me offendit, *Pater est*, inquit D. Ambr. in Psalm. 39.

MEDITATIO CXVI.

Feria 5. Dom. Palmār.

De reliquis Christi verbis in cruce.

Aspiciam D. Jesum in cruce toto meridie pendentem, juxta illud D. August. Hom. 8. de S. Steph. de Christo loquentis: *Caro*